



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De gloria sanctorum post iudicium. cviii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

*Ex dictis
Isidori.*

Non faciet in futurum cor miserum iustorum compassionem damnatorum condolendi affectio, ubi tantum erit sanctorum de Dei contemplatione gaudium, ut tristitia nullus tribuatur introitus. Sicut comparatus color candidus nigro colori fit pulchrior: ita & sanctorum requies comparata damnationi malorum gloriosior erit. Sicut iustitia iniustitiae, sic virtus vitio. Crescit ergo sanctorum gloria: dum debita damnantur impij poena. Post resurrectionem sanctis in carne promissa est caelorum ascensio, dicente ad patrem Christo: Volo ut ubi sum ego, & ipsi sint mecum. Si enim membra capitis sumus, & vnus in se, & in nobis est Christus, Vtique ubi ipse ascendit, & nos ascensuri sumus.

Quod finito iudicio incipiat esse seculum nouum, & terra noua. Caput CIX.

*Ex dictis
eiusdem.*

Vt ait B. Augustinus, peracto finitoque iudicio, tunc esse desinet hoc caelum, & terra: quando incipiet esse caelum nouum, & terra noua. Mutatione nanque rerum, non omni modo interitu transibit hic mundus. Vnde & Apostolus dicit: Preterit enim figura huius mundi. Figura ergo praeerit, non natura.

Contra eos qui dicunt si post factum iudicium erit conflagratio mundi, ubi tunc esse potuerint sancti, qui non contingantur flamma incendiij. Cap. CX.

*Ex dictis
eiusdem.*

Hanc questionem beatus Augustinus dissoluit. Queret, ait, forsitan aliquis, si post factum iudicium ille mundus ardebit, antequam pro illo caelum nouum & terra noua reponatur, eo ipso tempore conflagrationis eius, ubi erunt sancti, cum eos habentes corpora in aliquo corporali loco esse necesse sit. Possumus respondere futuros esse eos in superioribus partibus, quo ita non ascendat flamma illius incendiij, quemadmodum nec vnda diluuij. Talia quippe illis erunt corpora, ut illic sint ubi esse voluerint. Sed nec ignem conflagrationis illius pertimescent immortales atque incorruptibiles facti, sicut viuorum corruptibilia corpora atque mortalia in camino ardenti illa sa viuere potuerunt.